



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vera Concilii Tridentini Historia**

Contra falsam Petri Suaui Polani narrationem

**Pallavicino, Sforza**

**Antverpiae, 1670**

Capvt XXIV. Instat Aleander, vt Edictum Caesareum contra Lutherum promulgetur: & quae in Aula, populisque Germaniae, animi fuerit affectio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11642**

Principes, tam Ecclesiasticos quàm profanos. Quòd si hoc ipsum doctrinam non euertit funditus, certè debilitat. Quà pariter ratione quicumque Principum facinorosos, si è toto terrarum Orbe nequeat exturbare, nec bonis omnibus interdicerè, non idcirco desinit in exilium pellere è sua ditione, ac bonis exuere quibus inibi fruebantur.

14 Quod autem lenitate potiùs quàm asperitate fuisset opus, mendosum sophisma erat. Conducit profectò lenitas, vt placetur quispian, reconcilietur, eaque tribuat beneficia, quæ sibi magno detrimento futura non sint: at verò nihil confert, vt quis extremo suo malo consentiat, quale est infamia. Ad hæc mala ferè nemo nisi per vim adducitur; adeoque omnis eos adducendi spes in vi est reponenda. Iam res Lutheri eò deuenerat, vbi auctoritas Pontificia, Fidelisque Catholica salua esse non posset, nisi Lutherus à suis veneratoribus agnosceretur & hæreticus, & deceptor, & sacrilegus. At sanè id quod illi contingebat, iis pro portione contigisset, qui linguâ seu calamo ipsum publicè defendissent. Quamquam autem eam ignominiam apud mortales tolerare, fuisset iisdem verè conducibile ad æternam beatitatem consequendam; iam tamen in comperto erat, hominibus adeò perditis non esse oculos, quibus quidquam supra terram aspicerent. Quare, si remedia mordacia pro dubiis habebantur, lenientia sine dubio inutilia prænoscebantur.

## CAPVT XXIV.

*Instat Alexander, vt Edictum Casareum contra Lutherum promulgetur: & quæ in Aula, populisque Germania, animi fuerit affectio.*

1 **H**I tamen ignes vsui quidem erant, sed non satis ad expurgandum aërem Germaniæ iam tabificum. Paucis in vrbibus accendebantur, ibique etiam vt satis essent ad simpliciores commouendos, ad corrigendos improbos non valebant. Etsi benè cefferant ad bibliopolas deterrendos, ne tam execranda volumina ipsi haberent, aliisque diuenderent; parum tamen obtinebant virium, ad eadem extrahenda è domibus potentiorum ac nobilium, quorum alij factionis gratiâ, curiositatis alij apud se retinebant. Nullum potentius occurrebat medicamentum, quàm Casaris Edictum in caput & in scripta Lutheri. Hoc enim efficit in Germania, sicuti apud veteres fulmen, vt quicumque eo tactus, horrore sit omnibus.

Pars I.

M

nibus.

1520. nibus. Sed initio illud impetrari non poterat, nondum Coronâ de more Aquisgrani Cæsari impositâ; cum ante solennem illius susceptionem, nulli Cæsarium sit in more huiusmodi Decreta edere. Postea verò itinera, comitatus officia, & moles curarum, in eo rerum æstu magis vrgentium, nullum huic tractationi aditum laxarunt. Substitit postremò Carolus WORMATIÆ, quò Generalem Ordinum Conuentum indixit. Ibi verò cœpit Aleander rem promouere.

Istam benè affectum Cæsarem nactus est, vt ad Medicæum Cardinalem scripserit, à mille planè annis sincerioris rectorisq̃ mentis eo neminem extitisse. Dum autem obices refert, in quos ipse Aleander incurrebat, & de quibus postea dicemus, noto Iuuenalis carmine leuiter in rem suam immutato, ait:

*Et spes & ratio vincendi in Cæsare tantum.*

Nihilominus certum erat, haud euenturum fuisse, vt Carolus, negotiis adeoq̃ Imperio nouus, impelleretur ad telum illud vibrandum (quò venerabilius, eò parcius educendum) in factionem immensam, tutelisque amplè munitam, absque Consultorum iudicio, Principumq̃ consensu. Amborum igitur mentem Aleander explorauit.

Summâ erant apud Carolum auctoritate, in rebus ad pietatem pertinentibus, Ioannes Glapion, ex Ordine Franciscano; in rebus ad politicam gubernationem spectantibus, Carolus Guillelmus nobilis Belga, ab oppido suæ ditionis Ceurius dictus. Alter illi aderat à Confessionibus; adeoq̃ ex consueta Hispaniæ pietate, in qua fuerat Carolus educatus, plurimum apud ipsum valebat in deliberationibus illius fori: alter, eundem à puero instruxerat; vnde potius à Carolo obseruabatur vt pater, quàm adhibebatur vt minister. Conspirabat cum Ceurio Mercurinus Gattinara, summus Cancellarius, cui Cæsar postea Vaticanam Purpuram obrinuit.

Glapion itaque tamen aliàs animum non vsquequaque Romane Curiae addictum præ se gessisset, id tamen temporis aliter se affectum ostendebat, benignis officiis recens à Pontifice delinuit. Et sanè in eo toto negotio singulare probitatis ardorisq̃ specimen dedit. Cum præcipuis hæresis fautoribus priuatos magno cum fructu congressus habuit: Cæsaris Consiliarios quâ tepentes inflammavit, quâ perplexè cunctantes extimulauit. Neque id effecit, vt nonnumquam vsuuenit, ostentato quodam Religionis studio, quod magis præferat potentiae speciem, quàm conscientiae sanctitatem: imò in eiusdem seuera Instituti sui custodia, cum obis-

obsequentiſſima ſubiectione Pontifici, eluxit pietas demiffionis tenax, ſuique Ordinis agnomini conſentanea. 1520.

5 Ceurius veterem Religionem in animo quidem conſtantiffimè tuebatur; ſed vti Politicis negotiis intentus, ſtudebat aliquid in iis emolumenti eadem operâ conquirere. Quapropter, quaſi ex ore ſibi excidiſſet, auditus quandoque dicere, Cæſarem ita ſe geſturum erga Pontificem, vti ſe Pontifex erga Cæſarem gereret, nec ipſius æmulis opem ferret: quibus verbis Rex Gallia hæud ambigè ſignabatur.

6 Hæc à Ceurio per conditionem oblata ſupra modum Aleandri animum angebant offendebantque, quòd in dubium vocarent euentum, cuius deſiderio conflagrabit, ſuſpicionemque iniicerent, deliberationes ad Fidei patrocinium attinentes humani commodi trutinâ expenſum iri. Sed ea muſſitabat Ceurius, quòd rem Cæſaris promoueret; ſatis alioqui gnarus, etiamſi Pontifex Cæſarem deſeruiſſet, non idcirco deſerendam illi Religionem, quam tueri par eſt ipſius Dei, non eius Vicarij tunc gubernantis gratiâ; & cuius deſertio, vel ex humana ratione, futura eſſet quoddam vltionis genus, ipſi vltori maximè pernicioſum. Lentiùs etiam agebat Ceurius, opportunitatem oppetiens, quâ rem proſequeretur, quando ſimul reſideret omnis grauior Germanorum offenſio; ne ſub Imperij ſuſcepti primordia à Cæſare abalienati, frigeſcerent in ſuſpeditando ſubſidio, quòd illi pollicebantur, tam ad bella quàm ad Romanum iter vt Coronam capeſſeret.

7 Optimates Hiſpani, non Eccleſiaſtici modò, ſed etiam profani, ad excidium nouæ hæreſis flagrantiffimè ferebantur; eorumque Princeps Fredericus Albæ Dux, quoties hiſ de rebus ſermo incidebat, videbatur aliquando furentibus modis agitari, & extra ſe impetu pietatis exilire. At contrariùs animi habitus apparebat in mercatoribus Hiſpanis, aliisque Maurorum ſtirpe prognatis. Hi namque palàm pro Luthero loquebantur, cuius Opera Hiſpanicè reddita Antuerpiæ iam fuerant impreſſa. Huius rei cauſa, ſed latens, ea erat, quòd Lutherus negabat, fas eſſe quemquam capite plecti nomine Religionis; atque ita iniuſtas declarabat eas flammæ, quibus Hiſpanum Tribunal Fidei Quæſitorum ſæpiùs illorum proſapiaz homines punierat.

8 Hiſpania Senatus, & Ioannes Luſitania Rex, ſanguine & amicitia coniunctus Carolo, per Nuntios ad id deſtinatos vehementer illum concitarunt ad hæreſis euerſionem: tamenſi Miniſter Luſitanus poſt aliquot meſes primùm aduenerit.

1520.

Sed rei summa in Germanis erat, in quorum regione consilia & ineunda, & ad exitum perducenda erant: inter quos non solum Purpurati Patres, qui erant, Moguntinus Septemuir, Guillelmus Jacobus Croius Episcopus Cameracensis, idemque Archiepiscopus Toletanus, Ceurij fratris filius, qui in ipso ætatis flore præpostera morte illic obiit, Matthæus Langius Gurgensis, Archiepiscopus Salisburgensis, & Matthæus Schineius, Episcopus Sedunensis; sed etiam Archiepiscopi Septemuiri, aliique Antistites in primis conspicui, causæ Catholicæ aperte studebant, & cum iis Ioachimus Septemuir Brandeburgicus, Moguntini frater, & alij Principes ac Dynastæ. Contrà, Lutheri partes tuebantur non solum Saxonie Septemuir, sed etiam Ludouicus Septemuir Palatinus, Romano Pontifici grauius indignatus, quòd Romæ certa quædam immunitas tributa fuerat laicis Ratisponensibus, à jurisdictione Ioannis Episcopi illius vrbs, ac Septemuiri fratris.

Ita factiones dissidebant. Adeoque præpallebat in Optimatibus, atque in Consiliariis propensio ad hæresim diuellendam: omnes tamen metus inceserat ex plausu, quem sibi Lutherus excitauerat apud multitudinem, quæ infimis atque mediocribus constat in quacumque classe mortalium: nam maxima tandem multitudini est in terris potentia. Apud turbam pauperum nobilium summam ille gratiam obtinebat, præsertim operâ Vlrici Hutteni, claro genere nati, qui variâ literaturâ, facundiâ, efficaciâ, populique beneuolentiâ præpotens, postremò illectus splendore illarum inauratarum vocum *Libertatis, ac morum emendationis*, supra Lutherum ipsum Lutheranus euaserat. Atque uti nobilitas inops, honore simul ac indigentia vniuersè compulsâ, pronior est ad seditionem ciendam aduersum ditiores, inhiabant hi nobiles illis diuitiis, quas maiorum pietas Ecclesiæ tradiderat, & sibi quisque, ut accidit, opimam inde manubiarum partem pollicebatur. Ad eos plebeculæ vulgus accedebat iisdem ferè de causis, & quòd huius volubilitati semper perplacent noua consilia, ac potentiorum depressio.

Grammatici, & humanis literis dediti, quibus abundabat Germania, Luthero militabant sub Erasmi vexillo, ob rationes capite superiori relatas. Eòdem confluebant infimæ notæ causidici, ac leguleij; seu quòd eius doctrinæ quam profitebantur ignari, Doctorumque titulo ad obeunda in suis patriis munia contenti, gaudebant à Lutheri flammis absumi magna ex parte illa volumina, quorum intelligentiam, quæ verè carebant, sibi comparare debuissent; seu potiùs eâ disciplinâ leuiter tincti, valebant quidem ad capiendas

piendas difficultates à Luthero populariter obiectas legibus Pontificiis, non verò ad easdem dissoluendas, quibus propterea irretiti succumbebant. In Clero consimilis inerat discordia inter summos & infimos. Ecclesiarum rectores Lutherum impugnabant: at inferiores Ecclesiastici sustinebant; quippe qui indocti iuxta ac moribus corrupti, auebant falsitatis insimulari eam doctrinam quam ignorabant, atque irritas reiici eas Ecclesie leges, quas ipsi violabant.

12 Tandem augetur Lutheranorum factio multorum Regularium vtriusque sexus accessione. Aliis odio erat Dominicanorum potentia, quibuscum similitatem exercebat Lutherus: sed pars multò maxima libertatis libidine ducebatur; quemadmodum compediti remiges facile cum eo conspirant, qui quocumque conflato tumultu illos à transis exoluit. Hæ omnes hominum conditiones petulanter arroganterque grassantium, vt in vulgi seditionibus contingit, metum cuiuslibet incutiebant. Quapropter non Alexander modò sensit identidem se capitis periclitari; & cum Cesare iter faciens, neminem nactus qui auderet ipsum excipere, ad vilia sordidaque hospitia ægrè diuertit: sed de ipso Cesare inermi, atque inter Germanorum manus agente, quandoque dubitatum est, ne ab Hutteno eiusque affeclis opprimeretur. Adeò se debilem prodit, cum res vrget, ea Regum potentia, quæ vulgo tamquam omnipotens deprædicatur.

## C A P V T XXV.

*Alexandri sedulitas, quò Cesareum Edictum obtineat. Ad id obstacula. Eius concio trium horarum de hac re ad Generalem Conuentum.*

1 Tribus potissimum rebus viam sibi parare aggressus est Alexander. Prima fuit, diploma Romæ deposcere (quod postea tertià Ianuarij datum fuit) vbi Lutherus non sub conditione, si contumax persistisset, vt prius in altero, sed absolute, quando dies iam dicta præterierat, pronuntiaretur hæreticus; non tamen ibi nominaretur Huttenus, alijsve illius factionis. Huiusmodi enim diploma simul eripiebat è manibus fauentium Luthero elypeum illum erga rudiores, quòd is nondum ad eam diem ab Ecclesia fuisset absolute damnatus; simul parcens nominibus eiusdem affeclarum, nec ipsos poterat stimulare, nec eisdem obtendere titulum ad viciscendam ignominiam contra Pontificios administratos,